Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 833
Quelle:
Copyright:

vetus incipiens arescere reuiuiscat. Quomodo quidam fructus acetosi efficiantur in arbore dulces. Si uis ut aliqua gemma uel qualiscumque res crescat in pomo. De plantandis arboribus amigdalorum et auellanarum prunorum uel cerusorum uel etiam persicorum, et sic ulterius vera fabulosis mixta, prout ea aetate rerum naturalium cognitio ferebat. Ad calcem: *Explicit compendium godfridi de plantacionibus arborum per fratrem andream podman de arnhem. Anno domini MCCCCLXXIX. ordinis dyaconatus sui primo anno.*

CCXLIII. VIII. C. 25.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 191. f. per duas Columnas eleganter exaratus, rubricis distinctus, bonaeque notae Possessorem prodit sequentibus versibus, qui in principio *fol. verso* leguntur: 207

Librum presentem patrum dictis redolentem
Abbas preclarus fecit scribi Gebehardus.
Uirginis eximię digna pro laude marie.
Ut peccatorum purgata fece suorum
Uirtus uirtutem comitetur ad usque salutem.
Istud ad oramen lector respondeat amen.

Fuit *Gebehardus* hic *Coloniensis* Abbas Coenobii *Windbergensis* Ord. Praem. in *Bojaria*, eique per annos L. praefuisse dicitur. Memoria ejus recurret infra in *Codice*, qui I. exhibet *Johannis Cassiani* Monachi *Massiliensis* e *Galliae Provincia*, ut firmior fert sententia, oriundi, Scriptoris Sec. V. pii et eruditi sed *Semipelagianismi* labe notati *Classem secundam* et *tertiam Collationum* sive VII. *Collationes PP. in Thebaide Aegypti*, et VII. *Collationes PP. in ulterioris Aegypti Partibus*, ita, ut absint X. primae *Collationes PP. in Eremo Scythi* seu Σκητεως. Titulus miniatus hic est: *Incipit prefacio Cassiani eloquentissimi uiri ad Honoratum episcopum* (Arelat.) *et Eucherium famulum christi.* Sunt, qui *Honoratum* tardius ad Episcopatum evectum fuisse autument, id, quod saltem de *Eucherio Lugdunensi* certum est. Praefationis initium: *Cum uirtutem perfectionis uestre qua uelut magna quedam luminaria* &c. Post hanc: *Incipiunt capitula collationis Cheremonis*, quae exacte cum impressis concordant. *Incipit collatio prima abbatis Cheremonis de perfectione.* Et sic deinceps quamvis *Collationem* praeit Elenchus *Capp.* qui in sola *Collatione* IV. ab editis variat, quae ibi *Capp.* XIX. nobis vero XXI. censet, materia tamen utrobique integra. In universum lectio vix quidquam abit ab editione *Francof.* 1722. f. si finem *Collat. ult.* excipias, quem ex *Cod.* adscribo: *quippe cum et profectio lectoris sit, si sublimitatem sensuum contemple-*